IULII SILLIG

EPISTOLA CRITICA

DE

LOCIS ALIQUOT CORRUPTIS TACITI

AD

VIRUM AMPLISSIMUM EQUITEM SPLENDIDISSIMUM

CHRIST. ERN. AUG. GROEBEL

ANTE HOS XXV. ANNOS AD GYMNASIUM DRESDENSE REGENDUM VOCATUM.

DRESDAE
TYPIS MEINHOLDI ET FILIORUM TYPOGRR. REGG.
MDCCCXXXXI.

Poetis antiquis si credimus, Rector Gravissime, genus humanum quatuor aetates habuit, quarum alia alii successerit, neque prorsus inepta fuit eorum hominum disquisitio, qui qualis futura esset hominum posthac genitorum, investigare conati sunt. Iam ut multi olim exstiterunt, qui variis iisque non levibus argumentis confisi omnibus primorum hominum nepotibus ferream aetatem attribuerent, cuius sententiae, si nunc viverent, gravissimas causas afferre possent, nunc sunt, qui non minus probabiliter papyraceam aetatem nos ingressos esse dicant. Nec immerito: scribuntur enim infinita, neque alia ut videtur de causa quam ut officinis chartaceis suus honor stet quaestusque, et adsit, quod laxas scombris det tunicas. Quapropter Tu, sat scio, multum miraberis, quod nos, quibus Tuum de inani illo studio iudicium prudens et subactum bene sit cognitum, hoc ipso laetissimo et auspicatissimo, qui Tibi affulsit, die gratulandi causa aliquot paginas atramento impressorio infectas Tibi mittere in animum induximus. Nec multum abfuit, quin totum hoc nostrum consilium abiiceremus, nisi aliae causae dubitationi nostrae obstitissent. Ac primum quidem conveniens videbatur huius ipsius diei solemnitati, aliquid nugarum philologicarum interponere easque tanquam mnemosynon quamvis leve laetitiae nostrae in medium afferre; tum nos non fugiebat, quanto studio Tu semper rem programmaticam scholarum (licebit enim rei novae novum imponere vocabulum) prosequereris, cuius studii Tu admodum nuper luculentum exemplum edidisti, ut non dubitaremus quantum in nobis esset sententiam Tuam, quae a salso illo sed quod latine vix possit exprimi dicterio Friderici Augusti Wolfii non multum abest, re comprobare; postremo, isque nobis fuit longe acerrimus ad scribendum stimulus, morem a maioribus traditum, quo solemnitates scholasticae programmate aliquo vel epigrammate celebrantur, negligere noluimus, eoque minus, quo magis Te strenuum esse vindicem fortemque defensorem rerum novimus omnium, quae maiores prudenter instituerunt nobisque excolendas mutatisque temporibus sobrie accommodandas reliquerunt. Itaque speramus, Te consueta illa qua nos ornare soles benevolentia placidoque vultu has nugas excepturum esse, quas hanc certe excusationem habituras putamus, quod argumentum tractant a rei scholasticae natura non alienum, siquidem gymnasia nostra nunc certe rerum philologicarum tractatione nondum prohibentur. Sed ne longiore prooemio Te moremur, ad rem ipsam transeamus.

In reliquiis literaturae Romanae paucae exstant, quae variis nominibus animos lectorum magis alliciant, quam dialogus ille de oratoribus, qui per ipsos codices manu scriptos Cornelio Tacito primo in historia Romana asseritur. Cuius libelli dotes prorsus singulares exponere, tum de quaestione nunc a multis pertractata, num libri manu scripti verum auctorem prodiderint, disserere quum iam meum non sit, neque intra cancellos paucarum pa-

gellarum talis disputatio coerceri queat, satis habui videre, num ad verba eius, quae per temporum iniuriam insigniter deturpata omnes sciunt, emendanda aliquid afferre possem. Quo maior autem illius libelli praestantia est, eo gravius offendimur miris illis et multis corruptelis, quibus et casus in his rebus nimis saepe dominans et librariorum inscitia vel negligentia eum inquinavit. Illi ut magnae lacunae tribuendae sunt, quae non parvam dialogi partem ut desideremus faciunt, ita his leviores qui sunt in singulis vocibus vel etiam syllabis naevi imputandi, quibus lectores quavis fere pagina quominus aut sententiam scriptoris recte intelligere aut verborum elegantiam animo percipere possint prohibentur. Et huic quidem miserrimae sane eius dialogi conditioni debetur, quod iuventuti literarum bonarum appetenti, uti nunc res se habet, ad legendum in manus tradi vix potest, quae ipsa potissimum causa me impulit, ut per hanc scribendi occasionem laetissimam solemnitate scholastica mihi oblatam de paucis quibusdam huius aurei libelli locis perquam vitiatis sententiam meam qualemcunque aperirem eamque Tuo iudicio, Vir Gravissime, subiicerem. Et erat sane, quum timerem, ne uni alterive supervacanei aliquid fecisse operamque in re prorsus inutili posuisse viderer, quum hic dialogus, qui postquam a Schulzio anno superioris seculi octogesimo octavo editus est, per longum deinde temporis spatium a viris doctis minus respiciebatur, nostra aetate tot ingenia exercuerit, ut omnia iam acta et in eum, qui denuo animum ad hanc telam texendam convertisset, illud *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας* confictum esse putares. Uti enim nuper vix annus praeteriit, quin nova aliqua editio orationis Lycurgi Leocrateae in lucem emitteretur, idem nunc evenit dialogo de oratoribus, cui adeo laetum sidus exarsit, ut hoc ipso anno tres eius editiones simul prodierint. At vel sic, post quamvis sedulam et strenuam virorum doctissimorum operam multa restant, de quibus ampliandum censebunt, qui statum causae de qua agitur libero candidoque iudicio intuentur. Cuius rei causae cum aliae afferri possunt, quas enumerare non est huius loci, tum ea gravissima mihi videtur esse, quod qui operam in dialogo Taciti emendando collocarunt minus quam par erat codicum, quorum beneficio libellus praestantissimus ad nostram aetatem pervenit, naturam et indolem aut perspexerunt aut perspectam curarunt. Ex quo enim Io. Casp. Orellius, cui viro id datum est ut non minore in inveniendis subsidiis criticis variorum scriptorum et vetustissimis et integerrimis felicitate quam in inventis utendis dexteritate gloriari possit, primam dialogi editionem Lipsianam a. 1574. chartis octonis emissam sed postea tam ipsius Lipsii quam ceterorum editorum culpa in oblivionem adductam denuo in lucem protraxit, et fere eodem tempore excerpta codicis Farnesiani, quo iam Lipsius usus fuerat, a Niebuhrio, Schluttigio et Schrautio facta cum viris doctis sunt communicata, verioris de oratione qualis in dialogo est iudicii ferendi facultatem datam constat, et qui post hoc tempus editiones eius curarunt, amplius quid a se flagitari videre debebant quam ab iis, quibus, quum dialogum ederent, illis fontibus nondum uti licuit. Iam illud quidem valde molestum accidit, ut quatuor illi viri, quos codicem Farnesianum omnium praestantissimum inspexisse modo dixi, non paucis in locis inter se dissentiant et diversa tradant, quamquam hoc incommodum, donec quin-

tus aliquis librum Farnesianum adhibitis illorum collationibus denuo excusserit, quodammodo per Ludovicum Trossium resartum est, qui nuperrime accuratissimum codicis illius, unde Farnesianus quoque descriptus est, antiquissimi sed nunc ut videtur deperditi, cuius apographon Farnesianum seculo XV. factum Lipsius cum Niebuhrio et duobus eius collationem supplentibus usurpaverat, alterum apographon manu Ioviani Pontani a. 1460. scriptum et Leidae in bibliotheca Perizoniana asservatum Hammone edidit, ut huius libelli ope plenius iam iudicium de Farnesiani codicis lectionibus et de virorum, qui eum excerpserunt, fide ferri possit, quamquam igitur hoc valde molestum accidit, nihilominus quae sint illius codicis virtutes, quae vitia, clarissime iam patet. Et ut de aliis, quae commemorare possum, taceam, de uno vitio quod ei cum permultis aliis cum aliorum scriptorum tum ipsius Taciti codicibus commune est, pauca nunc dicere placet, quia in illud vitium intuens tanquam viam detexisse mihi videor, qua oratio praestantissimi libelli aliquot locis emendari possit. Neminem scilicet fugit, quoties in codicibus etiam optimis et vetustissimis syllabae alicuius vocabuli ab iisdem vel similibus syllabis proximis haustae fuerint vel etiam mera librariorum negligentia interciderint, quod adeo in causa fuit, ut saepe totae voces interirent. Et quum praeeunte Ryckio ad Tac. Ann. XII. 63. hoc vitium a scribis codicum Taciti Florentinorum, maxime eius qui annalium libros posteriores cum historiis complectitur, admissum esse vidissem, hac observatione tanquam certa duce fretus aliquot locos historici summi corruptos restituere sum conatus, cuius medelae operibus praestantissimis a me adhibitae exempla quaedam in iis exstant, quae ephemeridibus liter. Ienens. a. 1834. Vol. IV. p. 261—268. inserui, alia ad Nicolaum Bachium meum, quem Tu quoque immatura morte nuper defunctum multum doles, misi, qui conamina mea vel in ipsam suam editionem Taciti recepit vel certe in adnotatióne commemoravit; v. ad Ann. XI. 18. XII. 31. 33. XIII. 26. XIV. 16. Cum hoc amico candidissimo emendationes etiam nonnullas huius dialogi communicaveram, quas ita probavit, ut eas verbis scriptoris inserere non dubitaret. Et primum quidem cap. 10. ex *hic ingentis ex his assensus*, quod Farnes. habet, fingebam *hinc ingentis exiisse assensus;* tum cap. 31. e vestigiis eiusdem Farnes. qui habet: *qui quasdam artes audire omnes liberaliter debet*, orationem scriptoris ita refinxi: *qui quasdam artes haurire* (ita iam Lipsius) vel *exhaurire, omnes libare leviter debet*, quod miror a nupero quodam editore ea de causa improbari, quod tum *leviter* ex abundanti addatur verbo *libare*, „cum *libare* et *delibare* iam per se significent leviter aliquid degustare et quasi primoribus labris attingere“, quasi non sexcenties voces ἰσοδύναμοι copulentur quod inprimis de adverbiis verbo otiose quodammodo additis valet; v. Bach. ad Tacit. Vol. II. p. LIV. Tertium ut non ex eodem fonte derivatum hic non commemorarem, nisi quae hucusque de dialogo de oratoribus meditatus sum, in unum locum congerere vellem; capite enim 27. pro *Aprina disceptatione* certissimis causis palaeographicis motus faciebam *Apri illa disceptatione.* Sed haec ut sunt paulo leviora et de locis prolata, qui a viris doctis ita tentati erant, ut magnis syllabarum vocumque mutationibus abstineretur, in parvo hoc dialogo non exiguus locorum numerus exstat, qui ab omnibus viris doctis vere cruces criti-

cae habiti et appellati tantis mutationibus a nonnullis editoribus vexati sunt, ut utrum serio an ioco suas, si diis placet, emendationes protulerint, dubius haereas. Nescio autem, an nullum luculentius huius generis artis criticae exemplum inveniri possit, quam quod legitur in dialogi cap. 21. ubi Tacitus Apri interlocutoris persona usus, postquam ingenue confessus est, interdum veteres oratores prae recentibus nimium laudari sibi videri et se „in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere", ita pergit: ***nec unum de populo Ganuti aut Atti de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant. Ipse mihi Calvus vix in una et altera oratiuncula satisfacit.*** Non est quod moneam, haec verba uti ea ex Farnesiano codice adscripsi, ingentes hominibus doctis turbas excitasse, quorum coniecturas quum nisi fallor omnes diligentissime collegerit et deinceps enumeraverit Ecksteinius, malo periturae parcere chartae quam denuo enumeratis risum et taedium Tuum movere. Hoc unum mihi est addendum, fere omnes a codicis scriptura nimium recedere, ut iam ob eam causam nulla eorum probanda esset, nisi et aliae rationes accederent, cur lapillum iis adiicere candidum nequeamus. Corrupta ea verba esse nemo facile infitietur, fortasse ne tales quidem philologi, quales esse audio, qui coniecturis prorsus nihil tribuentes, quemvis utut corruptus aliis videtur locum ex uno, qualiscunque demum ille est, codice emendari posse contendant; et Peerlkampius in Biblioth. Crit. Nova T. V. p. 132. quum de multis dialogi locis coniecturas proponeret, his in verbis exemplum Babyloniorum sequi satius habuit, qui aegrotos, de quorum salute desperarent, in viam deponerent, si forte praetereuntes aliquam medendi viam expedirent. Quas igitur ad mutationes haec verba viros doctos invitaverint, vel unius I. Fr. Gronovii, summi critici exemplo comprobare possumus, qui hanc inde effinxit lectionem: ***nec unum de populo Canutium aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eodem valet. haec ossa et haec macies probant,*** receptam illam a cautissimo Bekkero. Iam videamus, num nobis res paullo melius sit cessura, et periculum certe faciamus, num quid proferre possimus, quod a codicis scriptura non nimis abeat et probabilitati in re critica plerumque veritatis locum tenenti melius congruat. Et ante omnia monendum est, in codice Perizoniano rectius legi ***Canutium,*** quod dudum Viri Docti restituerant, eundemque habere: ***Coranio quique alios,*** quod idem in edd. vett. exstat. Aper igitur oratores mediocres pristini temporis exagitaturus Canutium et Arrium (sic recte Gronovius) tanquam exempla ponit, quibus de oratoribus testimonia veterum maxime Ciceronis, quum iam interpretes attulerint, repetere nolo. Hi igitur oratores, alter de Furnio Ciceronis familiari, alter de Coranio sive ut alii codd. habent Toranio homine prorsus ignoto orationem habuerant. Hos oratores in suae causae patrocinium commemorare Aper non vult, ut qui ab ipsis suae sententiae adversariis minime probentur, dicens vel in ipso Calvo cui illos plurimum tribuere sciebat, plura sibi displicere quam placere. Hinc Gronovius addidit ***nominabo,*** ad sensum quidem vere; sed ubi huius vocis aliquod quamvis leve vestigium in codicibus invenitur? Videor mihi medelam invenisse, qua omnibus difficultatibus occursum iri spero, si scribitur: ***nec unum de popuLO LOQUAR, VTI***

CANVTI aut Arri de Furnio et *CORANIO ORATIONES*. Primum enim si memineris, quam saepe vox aliqua in codicibus exciderit, quod medium inter duas voces locum tenens partim ab ultimis praecedentis, partim a primis sequentis vocis literis intercepta est (Drakenb. ad Liv. XXXIX. 6, 2. Kritz. ad Vell. II. 11, 2. p. 123. sq.), deinde si confusionem illam notissimam literarum *c* et *qu* probe tenemus, quomodo *locar uti* i. e. *loquar uti* excidere potuerit, non amplius dubitabimus. Usus verbi *loqui aliquem* pro loqui de aliquo non tantum poetis (Plaut. Menaechm. II. 2, 47. Ovid. Trist. III. 3, 17.) verum etiam prosae orationis scriptoribus familiaris est (Liv. V. 5. *Quid turres, quid vineas testudinesque et alium apparatum loquar?* 54. *ne singulas loquar urbes.* Tacit. Hist. IV. 12. *caesos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias non ut mala loquebantur.* Seneca ep. 90. *Quid loquor marmora, quid lapideas moles in rotundum ac leve formatas, quid verborum notas?* adde Madwig. ad Cicer. Fin. II. 9, 26.). Neque hoc puto aliquis contra hanc coniecturam afferet, verbum *loquar* contra necessitatem inseri, quum verba dicendi saepissime omitti constet (Cort. ad Lucan. II. 493. Gronov. ad Cic. Fam. III. 7. Heind. ad Cic. N. D. III. 2, 5. 5, 11.), imo qui locos huius generis a VV. DD. laudatos attente inspexerit eosque cum Taciti verbis comparaverit, magnam utrorumque diversitatem intelliget, quo accedit quod tum quomodo *uti* evanuerit minus clare appareret. Futurum denique tempus *loquar* multis similibus locis vindicatur, quales collectos invenimus ab Horatio Tursellino p. 489, 27. 28. *Orationes* autem ab *oranio* facilius etiam absorberi potuit, de quo corruptelae genere uberius disserere non opus est. Transgredimur ad tertium huius loci mendum, quod aperte inest in *alios*, vel ut cod. Perizon. habet *quique alios*, sed facillime et commodissime ita corrigetur, si legimus *quique alias* i. e. praeterea, quae huius adverbii significatio aureae aetatis scriptoribus incognita apud posteriores haud raro invenitur (Böttcher. lex. Tacit. p. 53. Hand. Tursell. I. p. 225, 14.), et a Plinio maiore inprimis frequentatur (N. H. 2, 100. 111. 8, 89. 13, 102. 20, 213. 37, 40.). Locutionem *in eodem valetudinario esse* interpretes exemplis apte allatis satis illustrarunt, itaque nihil de hoc loco mihi addendum videtur, nisi vocem *probant* ita explicandam esse, ut Tacitus illos oratores eadem qua Canutium et Arrium exilitate laborantes hanc ipsam auditoribus suis lectoribusque suo exemplo commendare studere dicat, quo de notissimo temporis praesentis usu conferri possunt, quae post alios VV. DD. sobrie disputavit Haasius ad Reisigii scholas grammaticas p. 498., neque iam ineptum videtur, verba ex mea qualicunque sententia refícta apponere: *Nec unum de populo loquar, uti Canuti aut Arri de Furnio et Coranio orationes, quique alias in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant; ipse mihi Calvus* et quae sequuntur.

Palaeographica illa observatio de literis *c* et *qu* creberrime inter se permutatis in memoriam mihi revocat locum Taciti Hist. V. 3., quem uti in codd. legitur haud dubie corruptum VV. DD. multis coniecturis tentarunt. Tacitus ibi postquam paucis verbis de tristi Iudaeorum statu relicta Aegypto exposuit, ita pergit: *Moysen unum*

exsulum monuisse ne quam deorum hominumve opem exspectarent utrisque deserti, et sibimet duce coelesti crederent, primo cuius auxilio credentes praesentis miserias pepulissent. Ita hic locus in cod. Mediceo legitur, ex quo quum interpretes sanum aliquem sensum elicere non possent, partim interpolatas aliorum librorum lectiones secuti sunt (ut Guelf. Harl. Bodl. Iesuit. *sed sibimet ut duci caelesti crederent,* Corb. *ni sibimet*, Agric. *ut sibimet duci caelesti crederent*, quae omnes lectiones ineptum male sedulorum librariorum studium iam eo produnt, quod ita *sibimet* contra leges latinitatis ad Moysen refertur, quum secundum eas non nisi ad ipsos Iudaeos referri possit, quod post I. Fr. Gronovium recte observavit Ernestius), partim ad coniecturas confugerunt, quas Waltherus diligenter collegit, qui quae ipse ad scripturam codicis Medicei tuendam, de sole sive luce diurna quae *dux caelestis* dicatur, excogitavit, ea cum Rittero ex ipso lectoribus cognoscenda relinquimus. Non magis autem huic ipsi Rittero assentiri possumus, qui medela satis violenta in usum vocata scribit: *sed sibi ut duci caelesti crederent,* deletis omnibus quae hinc in codd. sequuntur *primo cuius auxilio — pepulissent.* In quo primum offendit, quod Ritterus copulam *et* contra auctoritatem cod. Medicei in particulam *sed* mutavit, qua mutatione fortasse abstinuisset, si memor fuisset eorum quae de hac re disputavit Handius in Tursell. II. 494. sq. maxime p. 495, 3. Quae porro profert ut mutationem suam *sibi ut* pro *sibimet* tueatur, iusto fundamento pariter sunt destituta. Et satis leviter quidem contendit, „si suis ipsos viribus Iudaeos niti Moyses voluisset, non dixisset *crederent* sed *confiderent;* tum eo consilio auctoritati suae parum consuluisset.“ Sed illud de verbo *credere* refutatur multis similibus locis, quales collegit Cortius ad Sall. Iug. 72., alterum speciosius quam verius dictum est. Qui enim hominibus diisque desertus est, in quonam alio quam in se ipso spem ponet? Atque illo iam tempore si Moyses se tanquam unicum eumque caelestem ducem Iudaeis commendasset, incautius egisset utpote omnis consilii expers. Imo Moyses, uti eum Tacitus describit, homo audax et opportunitatis utendae peritus omnia fortunae permittit idemque Iudaeis ut faciant persuadet, confisus aliquid futurum, quo et Iudaei angustiis expedirentur et ipse uti dux caelestis i. e. a diis missus iis commendaretur. Et hanc Taciti mentem esse, primum docet vox *assensere* statim sequens, pro qua, si Ritteri opinio vera esset, *acclamavere* sine ulla dubitatione Tacitus scripsisset. Deinde ipsa narratio eorum, quae orationem Moysis secuta sunt, Ritterum erroris convincit. Etenim Iudaeis summa inopia aquae ad exitium et desperationem adactis „Moyses gregem asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concedentem coniectura herbidi soli secutus largas aquarum venas aperit“; quo demum facto ipsum Moysen ducem illum caelestem, quem venturum ut sperarent Iudaeis suaserat, fuisse apparuit. Divinitus se missum hoc miraculo, venis scilicet aquarum apertis, comprobavit, et eum ab hoc demum tempore tanquam ducem suum a Iudaeis agnitum fuisse docet initium capitis sequentis, quo Tacitus itineris Iudaeorum narratione finita de Moyse ut novarum gentis Iudaicae legum latore loquitur. Quum Moyses auxilium ducis caelestis Iudaeis auguraretur, neque de se neque de alio quopiam certo cogitavit, sed in universum ei duci caelesti confidere eos iussit,

primo cuius auxilio credentes praesentes miserias pepulissent, quae verba quomodo Ritterus in suspicionem vocare potuerit, prorsus non intelligo. Satius profecto erat, cum I. Fr. Gronovio unum illud *credentes*, quod ab Orosio etiam hanc Taciti narrationem exscribente omissum explicari nullo modo potest et quod ex dittographia sive mala interpretatione librarii alicuius, quem vera horum verborum mens uti multos viros doctos fugerat, ortum esse puto, obelo confodere, quam tot verba, in quibus tantum abest ut ulla serioris originis suspicio insit, ut iis deletis cetera verba perquam languida fiant, loco suo eiicere. Ritterus scilicet, quamquam Scholius ad Hyginum p. 137. et Ernestius aliquam certe verae huius loci expediendi rationis partem viderant, quales essent *praesentes miseriae* Iudaeorum non est assecutus, quum ipse Tacitus paullo infra dicat: *sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat.* Moyses igitur illum ut ducem sibi coelitus missum Iudaeos credere iussit, *primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent,* quibus in verbis *primo auxilio* non pro dativo (uti librarii secus atque Orosius, apud quem *credentes* non legitur, fecerunt illudque ipsum participium male intruserunt) sed pro ablativo instrumenti est habendum; *praesentes miseriae* non sunt ἐναργεῖς, uti Rittero explicare placuit, sed eae, quibus nunc cum maxime premebantur, et *pepulissent* (non *pepulerint*) quodammodo idem quod *pulsuri fuissent* valet, vel coniunctivum futuri exacti indicare existimandum est, de quo huius temporis usu notissimo obiter lectorem ad Ramshornii Gr. Lat. p. 608, 6. ed. II. remitto. Quum igitur Moyses prudenti rerum naturae observatione ductus illas praesentes miserias pepulisset aquamque Iudaeis aperuisset, fieri non potuit, quin ipse a Iudaeis pro caelesti illo duce, quem eos antea sperare iusserat, agnosceretur. Sed dices, Vir Gravissime, ubi tandem legitur in codice Mediceo dux ille caelestis, quum tu ceterorum codicum auctoritatem adeo superciliose spernas? Bona verba, adest, dummodo parvam aliquam mutationem scripturae codicis Medicei admittamus. In hoc enim cum, uti antea dixi, *duce* (non *duci* uti Waltherus errabundus prodidit) *caelesti* exstet, inde scribendum est: *DUCICECELESTI* i. e. *ducique cael.*. Iam puto omnia luce, ut aiunt, clariora fiunt. Moysis hominis qualem Tacitus eum fuisse fingit astuati et ad omnia parati consilium ut tempori aptissimum ostenditur, iam patet, cur Moyses, quem ipse Tacitus antea simplicissimo nomine *unum exsulum* appellaverat, Iudaeis adeo se commendaverit, ut eum posthac ducem sibi sumerent, et una modo dubitatio de illo ipso duce solvenda remanet, quam Waltherus, nimius sane cuiuscunque codicum lectionis assecla nobis obiecit. Quaerit ille, quomodo Moyses se ducem caelestem (h. e. a diis missum) potuerit ostentare, postquam monuerit, ne quam deorum opem exspectarent. Sed pace viri optimi dixerim, verum non vidit, quia videre noluit. Aut eam huius difficultatis removendae viam ingredi possumus, quam primus Pabstius ad eclog. Tacit. p. 284. monstravit, repugnantiam illam a Walthero demum simulatam concidere monens, si *deos* de numinibus ethnicis interpreteris, a quorum cultu Iudaeos non alienos fuisse historia vituli aurei doceat, et si ad hoc attendas ipsum Moysen alium cultum Iudaeos docere voluisse (coll. c. 4.); aut quod mihi multo est probabilius, Moyses non verus ille, sed qualem scriptor rerum Romanus finxit,

Iudaeos de se iam desperantes sibi et fortunae confidere iussit, ita quidem ut hunc a fortuna sibi ducem datum crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent. De fortuna agi, huius auxilium promitti, docent et quae statim sequuntur *fortuitum iter incipiunt*, et vocabulum *primo* ceteris verbis praemissum, quod fuerunt qui perverse caperent, ut pro eo restituere vellent *priore*, non de praestando aliquo officio sed de iam praestito cogitantes. Quadamtenus verum loci sensum iam Ernesti perspexit, neque tamen tam clare exposuit, ut sequentibus interpretibus persuaderet. Quantopere vero illo, quo Tacitus vixit, tempore in Fortunam omnes ceteri dii eorumque potestas transiverit, cum alii loci docent, tum omnium luculentissime Plinius N. H. 2. §. 22. 23. En igitur verba Taciti, uti ea ex mea sententia scribenda sunt: *Moysen unum exsulum monuisse ne quam deorum hominumve opem exspectarent utrisque deserti, et sibimet ducique caelesti crederent, primo cuius auxilio praesentis miserias pepulissent.*

Accedimus iam ad alium dialogi locum, ubi Aper (c. 7.) eos dies tanquam laetissimos vitae suae praedicat, quibus aut reum prospere defendisset aut apud centumviros causam aliquam feliciter orasset aut apud principem libertos et procuratores principum tueri et defendere potuisset. „*Tum*, pergit, *supra tribunatus et praeturas et consulatus adscendere videor, tum abire, quod, si non in alio oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit.*“ Ita codices omnes habent, quorum scripturam diversissimas coniecturas Virorum Doctorum provocasse non est mirum, quum sicut ea scribuntur sensus inde elici non possit. Iam primum de hoc omnes ni fallor interpretes nunc consentiunt, *abire* a Mureto felicissime esse mutatum in *habere.* Eo maior dubitatio etiamnum est de verbis statim sequentibus, de quibus quae homines docti protulerunt, duplicis sunt generis. Aut enim a pronomine *quod* apodosin incipientes eam usque ad *venit* extendunt, huicque opinioni suas coniecturas superstruunt, ita ut prior particula *nec* mera sit copula negativa verba sequentia prioribus annectens. Ut duas modo huius generis coniecturas ex plurimis ab Ecksteinio congestis afferam, Petrus Pithoeus paene ridicule *quod non in alvo oritur* coniecit, qua in re hoc maxime mirum est, invenisse hanc coniecturam, qui ei subscriberet, Oudendorpium ad Appul. Met. p. 227. Aliam viam ingressus est Godofr. Bernhardy in encyclop. philol. p. 132. scribens: *quod sine nomine alieno oritur* vel *paritur.* At neque huic coniecturae adstipulari possum, quum, si viri illius eruditissimi mentem recte capio, verba ita scripta fere nihil aliud eloquantur, quam quod ipse Tacitus paulo post multo gravius et significantius dixit. In universum de omnibus illis coniecturis ex hoc de loci conformatione iudicio derivatis iudicandum est, eas orationem mirum quantum languidam reddere, et viros doctos, qui hoc iudicium secuti locum tentarunt, non ea qua par erat cura attendisse ad verba *habere quod si non* quae clarissime ostendunt, oppositionem aliquam membrorum esse, qua verba interposita *si non in alio oritur* sequentibus cum gravitate opponantur. Quae enim illis subiecta sunt, de re extrinsecus homini seu per testamentum seu gratia populi vel principis veniente aperte agunt; illa *παρένθετα* dicta, quod interpretum aliqui

viderunt, vim aliquam hominis internam indicant, et ut de hoc dubitari omnino non possit, conferenda sunt verba novissima capitis proxime praecedentis, ubi Aper ea in ingenio sicut in agro gratissima esse dicit, quae sua sponte nascantur, quod ut comprobet, suo ipsius exemplo utitur. Multo propius a veritate absunt, qui hypotheticam periodi parentheticae conformationem agnoscentes huic coniecturas suas accommodarunt. Ita Petrus Pithoeus praeter suspicionem supra allatam pro *in alio* coniecit *aliunde*, Freinshemius *in animo* (quod a plerisque editoribus receptum latinitati parum congruere vidit Orellius), Seebodius cum Mosero, Böttichero et Bachio *in ingenio* vel *ingenio*, Ernestius *in ipso*, Bipontini *in suo*, Orellius *quod, si non indoles largitur*. Sed omnia haec conamina habent quo offendant; aut frigidi nescio quid in iis inest, aut latinitati per ea minus consulitur, aut talia sunt ut pro iis omnia alia dici possint, neque iustam verborum sequentium oppositionem faciunt. Hinc novi aliquid inveniendum, quod num Tibi, Vir Praestantissime, probare possimus, videbimus. In literis igitur: *quod si NON IN ALIO oritur* persuasum mihi est latere: *quod si NON NUMINE ALIQUO oritur*, quae qui palaeographiae non nimis est imperitus ad scripturam codicum proxime accedere confitebitur. Longum est et putidum, singulorum apicum et literarum ortum docere velle; hoc unum admonere liceat, quam saepe literae *o* et *u* in vetustissimis codd. confundantur. Iam quod ad ipsa verba attinet, praestant ea ni fallor, quod viri docti hucusque frustra quaesiverunt, et quam egregia sit oppositio verborum *numen* et *codicilli gratiaque*, neminem facile fugiet. *Numini alicui* scilicet illa summa et deo ipsi debita vis eloquentiae tribuitur, quam homo, nisi a natura accepit, arte sibi comparare non potest. Inde eloquentiam deorum, maxime Mercurii donum esse dixerunt, de qua re digna sunt quae adscribantur verba Doxopatri ap. Walz. Rhetor. VI. p. 6. Ἑρμῆς τοίνυν ὁ λόγιος, θεασάμενος τὴν διαφορὰν καὶ τὸ ποικίλον τῶν δημιουργημάτων, καὶ λογισάμενος, ὡς ἐν τοῖς οὖσι γενήσεταί τις ἔρις καὶ ἀμφισβήτησις καὶ ἐπιλογή, δέδωκε τοῖς ἀνθρώποις τὴν ῥητορικήν. — — Οὕτως ἐξ Ἑρμοῦ τὴν γένεσιν ἐσχηκυῖα ἡ ῥητορικὴ ἐκ θεοῦ τε λέγεται εἶναι καὶ θεὸν ἔχειν προστάτην καὶ ἔφορον. coll. Quintil. X. 7, 14. 15. Rem conficit ipse Tacitus, qui cap. 8. *eloquentiae NUMEN et caelestem vim multa omnibus seculis exempla edidisse* ait. Numen enim, uti Cortius ad Lucan. I. 63. recte monet, τὸ θεῖον omnium rerum, h. e. earum vires ac facultates maxime occultas vocant. Et uti Tacitus h. l. eloquentiam numine aliquo ortam dicit, ita alibi (Ann. 13, 41.) *miraculum velut numine oblatum* narrat. Denique *si non* non *nisi* cur aptissime h. l. ponatur, docent quae de discrimine harum particularum prudenter monuit Reisig. in scholis grammat. p. 456. sq., neque iam opus videtur, opinionem illorum vv. dd. pluribus refutare, qui satis levibus argumentis usi omnia haec verba *si non in alio oritur* tanquam glossema delere voluerunt, quo sane artis criticae genere omnes difficultates facillimo negotio tolli possunt. — His ita expositis ab hoc capite discedere possem, nisi verba illis annexa pariterque in codicibus corrupta me ut meam qualemcunque de iis suspicionem patefacerem allicerent, quae ita sunt in codice Farnesiano scripta: *Quid fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est, qui non illustres et in urbe nos-*

dum apud negotiosos et rerum intentos, sed etiam apud iuvenes et adolescentes, quibus modo recta et indoles est et bona spes sui? Primum hic tenendum est, Schluttigium in codice Farnes. non *nosdum* sed *non solum* legisse, quod eo credibilius est, quum et in cod. Periz. *illustres* (om. *et*) *in urbe non solum* exstet; Vatican. 1862. 4498. habent: *qui non illustres et non in urbe solum*, Vatic. 1518. *non illustres et non solum*, quos meros librariorum errores esse ab uno communi fonte derivatos quivis facile videt. Non minus perspicuum est, fontem illum in particula *non* geminata latere, quod quum neminem fugere posset, VV. DD. in alterutra tollenda omnem operam posuerunt variasque coniecturas hoc fundamento nixas protulerunt, non videntes, rem ita non confici, sed alia superesse, quae non minore cura indigeant. Intuentibus enim nobis hunc locum, qualem ex Farnesiano libro, cui semper adhibendus est Perizonianus, adscripsi, et reliqua eiusdem capitis verba, quae tota de h. l. disputatione absoluta adscribam, considerantibus statim apparet, Tacitum ad concelebrandam eloquentiae auctoritatem, maiorem illam et sublimiorem quam quae codicillis et gratia paretur, concitatiore aliquo genere dicendi usum plures deinceps interrogationes posuisse, quibus singulis singulos effectus eloquentiae describere vellet. Et quum totus locus statim ab interrogatione *quid* inchoetur, fere inviti cogimur ut media etiam verba *qui non illustres rel.* interrogationem aliquam continere statuamus. Hoc quodammodo indicat ipse cod. Perizon., in quo et post *comparanda est* et post *spes sui* signum interrogationis ponitur. Ut autem haec vera sint mihique a Te, Vir Doctissime, tribuantur, restat tamen particula illa *non* priori loco posita, quam nihil nisi additamentum librarii alicuius esse, nemini persuadeas. Emendanda est, non tollenda, et quum hoc G. Bötticherus primus vidisset, erravit in vocabulo eius in loco reponendo. Scripsit enim: *qui tam illustres in urbe, non solum rel.;* leniorem tamen et si quid video sententiae etiam aptiorem medelam ego inveni. Sic Tacitum scripsisse arbitror: *qui nunc illustres* sc. praeter oratores, quorum nomina ex proxime praecedentibus verbis facillime supplentur. Utramque hanc particulam *non* et *nunc* sexcenties confundi quis nescit? Ipsa particula *nunc* temporis, quo hic dialogus scriptus est, statum optime depingit. Nulla enim alia res illo tempore auctoritatem homini dedit, quam eloquentia forensis, cuius rei plenae sunt epistolae Plinianae. Soli oratores aliquo numero erant, quum ceterarum artium, quibus olim homines auctoritatem et opes sibi paraverant, splendor dudum exstinctus in unius principis aulam transmigrasset. Ut vero totus locus, qui nobis satis amplae disputationis causam dedit, quomodo scribendus sit videatur, et quam egregie, si nostram eius conformationem sequaris, omnia inter se conspirent appareat, age eum a nobis emendatum adscribamus, quo facto ulteriore explicatione vix opus fore confido: *tum supra tribunatus et praeturas et consulatus adscendere videor, tum habere, quod, si non numine aliquo oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit. Quid? fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est? qui nunc illustres in urbe, non solum apud negotiosos et rerum intentos, sed etiam apud iuvenes et adolescentes, quibus modo recta et indoles est et bona spes sui? quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos saepius vulgus*

quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntis nomine vocat et digito demonstrat? advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut agnoscere concupiscunt. Verba *in urbe* opponuntur *advenis et peregrinis* infra commemoratis; multum vero loci vim frangeret, qui deleto asyndeto pro *non solum* scribere vellet *nec solum*. Ceterum aliorum exemplum secutus post *quid* interrogandi signum posui, primum quia ex hoc pronomine clausula ipsa initium capit, qua Tacitus auctoritatem eloquentiae descripturus est novumque proinde quasi impetum capit; tum quod coniunctio duarum interrogationum, de qua ipse egi ad Culicis vs. 208., in hunc locum minime quadrat, ubi permire coniungeretur *quid comparanda est.* Denique altera interrogatio *cuius artis*, si Ecksteinii sententiam sequimur, qui potissimum pro hac scriptura pugnavit, omni sua vi et nervo exueretur. Aliam huius loci expediendi viam ingressus est Ritterus, qui propter copulam *et* in codice Perizon. uti modo dixi non exstantem quaedam excidisse ratus Tacitum ita fere scripsisse iudicat: *qui illustres et in ultimo terrarum orbe et in urbe*, qua de coniectura post ea quae supra disputavi uberius exponere supervacaneum habeo.

Sed claudendi nunc rivi, finis iam imponendus huic epistolae, quae ne patientiam Tuam, Vir Optime, defatigaverit, ipse timeo. Multa quidem habeo, quae disputare possim, cum de singulis huius dialogi locis, tum potissimum de codicibus eorumque vel cognatione vel diversitate. At haec alii tempori relinquenda, ne Tu frustra monuisse videaris, quod saepe mones, in talibus scriptionibus, qualis iam Tibi oblata est, brevitati studendum esse. Nihil igitur nobis reliquum est, quam ut Tibi fausta omnia precemur, rogemusque ut quae hic disputata legisti aequi bonique consulas. Ita vale nosque amare perge.

Dresdae d. X. m. Octobr. MDCCCXLI.
